Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 721
Quelle:
Copyright:

XXIII. *fol.* 201. *Incipit Liber auguſtini de predeſtinatione ſanctorum.* Initium: *Dixiſſe quidem apoſtolum ſcimus* &c. ut T. X. *col.* 789.

XXIV. *fol.* 208. Liber idem, qui *n.* XVII. relatus eſt.

XXV. *fol.* 215. *Incipiunt capitula libri enchiridion. beati auguſtini ad laurentium primicerium eccleſie urbice de fide et ſpe et caritate.* Sunt numero 125. in editione vero T. VI. *col.* 195. numerantur tantum 122. Initium ipſius Enchiridii: *Dici non poteſt dilectiſſime fili* &c. In Codicibus, quibus uſi ſunt *Mauriani*, non videtur occurriſſe τὸ *Eccleſiae urbicae.*

CCCXXXIV.

R.3119 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 103. 4. non una manu, bene tamen exaratus, rubro diſtinctus, et prius *ſanctę Marię in povmgartenberge*, varia complectitur, et I. quidem *Incipit enchiridion. i. manualis liber Sancti Auguſtini epiſcopi.* Praeit Elenchus *Capitum* LXXI. Initium eſt: *Dici non poteſt fili Laurenti* &c. ut ſaepius jam utroque *Vol.* relatum eſt, et T. VI. *col.* 195. edit. *Maur.* habetur, quacum Codicis lectio probe conſentit. Extat hoc Opuſculum a me germanice redditum inter *Denkmaale der chriſtlichen Glaubens - und Sittenlehre* T. I. P. 2.

II. *fol.* 62. ſeu p. 123. *Incipit Soliloquium Hugonis* (Victorini) *de diſcretione et anima.* Melius Dialogus inter has, cujus initium: *Loquar ſecreto animę meę* &c. ut ſaepius dixi, et videre eſt edit. *Rothomag. Opp.* T. II. p. 223. ubi *de Arrha Animae* inſcribitur, et Praefationem habet.

III. p. 143. *Viſio drictelini uiri dei quam ſcribit beda preſbiter in geſtis anglorum.* Et rurſus ad calcem: *Explicit Viſio drictelini uiri dei.* Narrat eam *Beda* L. V. c. 13. neque nomen Viri *Drithelmus*, angloſaxonice *Dryhthelm*, niſi ſub finem narrationis uſurpat. Excerptum noſtrum incipit ibi: *Hic aliquamdiu mortuus primo tempore noctis ſcilicet diluculo reuiuiſcens ac repente reſidens* &c. et definit ibi: *me repente inter homines uiuere cerno.* Ejusmodi per Purgatorium, Infernum et Coelum Peregrinationes non ſemel mihi viſae ſunt *Danti Aligerio* ideam *Divinae* ſuae *Comoediae* ſubpeditaſſe.

IV. p. 148. Verſus quidam pii. Primi de Mercede aequali Operarum *Matth.* c. 20. *Vinea culta fuit* &c. Tetraſtichon ſecundum adſcribo:

Eſt aliquando bono bene, ne grauius ſuperetur,
Eſt male, quo maculas lauet, aduerſisque probetur.
Eſt aliquando malo bene, quo grauius feriatur,
Eſt male, quo redeat, uel ut hic quoque iam patiatur.